



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Instructio practica ...

Institutiones Qvintvplicis Theologiæ - Positivæ videlicet, Asceticæ,
Polemicæ, Speculativæ, & Moralis complectens, Unà cum Appendice
Methodum compendiarium reformationis Ecclesiasticæ à Concilio
Tridentino factæ continente

Lohner, Tobias

Dilingæ, 1679

§. 3. De Syriaca editione.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48233](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-48233)

§. II

De Chaldaica editione.

De hac editione tria breviter ex Bellarmio, Serario & alijs notanda sunt.

1. Hanc linguam Chaldaicam primitus scriptos esse sequentes S. Scripturæ libros, Tobiam, Iudith, & ex parte libros Esdræ, & Danielis Prophetiam; eò quòd hi libri post captivitatem Babylonicam, ubi Judæi jam Chaldaicè loqui cœperunt, sint conscripti.

2. Extrare quoque paraphrasin Chaldaicam in omnes S. Scripturæ libros in Judæorum Canone contentos, atque ab illis Thargum quod idem ac Interpretatio significat, fuisse appellatos; hanc verò paraphrasin partim ab Aquila (qui Chaldaicè Onchelos vocatur) partim à Ionatha quodam, & Josepho cæco compositos fuisse.

3. Hanc editionem apud Hebræos quidem magnæ esse authoritatis, ab Ecclesia tamen non magni fieri, utpote in multis locis, extra Pentateuchum, Judaicis fabulis & Thalmudistarum nugis permixtam; atque adeò eatenus tantum utilem esse, quatenus ex ea Hebræi falsitates convinci possunt.

§. III.

De Syriaca Editione.

De hac quoque editione tria specialiter notanda esse, docet Bellarmius. l. 2. c. 4. contr. gen.

1. Quòd Syriaca lingua sit quasi proles Hebraicæ & Chaldaicæ linguæ, eò quòd Hebræi in Babyloniam abducti, paulatim linguæ suæ oblivisci, & Chaldaicè loqui cœperint; quia tamen perfectè hanc linguam Chaldaicam non didicerunt, sed semper eidem verba Hebraica miscuerunt, hinc tertia quædam lingua prodijt, quæ, quia in Syria maxime usurpabatur, Syriaca, aut etiam à præcipua civitate Hebræorum Hierosolymitana vocari cœpit.

2. Hanc linguam ex veteri testamento nullum librum, nisi fortè primum Machabæorum & Ecclesiasticum; ex novo vero

verò credibiliter Evangelium S. Matthæi, & Epistolam ad Hebræos, quia tunc, quando hi libri scripti erant, in Syriacè loquebantur Hebræi, conscriptos esse.

3. Hujus editionis non tantam quidem esse auctoritatem, quanta Latinæ & Græcæ conceditur, eò quòd ob varios naves meritò viris doctis displiceat, duplicem tamen teste Menochio c. 16. proleg. utilitatem afferre, quòd scilicet & nostram vulgatam in multis stabiliat, & illustrat, & quòd adjunctos habeat titulos & inscriptiones varias, quibus significatur, quid in novo Testamento in hujusmodi festo, in veneratione Crucis, quadragesimalibus jejnijs alijs, commemoratione Fidelium Defunctorum legi soleat, atque adeò ad Ecclesiæ ritus stabiliendos, consensionemque cum Romana Ecclesia ostendendam, contra Hæreticos juvet.

§. IV.

De Græca Editione.

Duplicis generis libri sacri hanc Græcâ linguâ sunt conscripti. Primò enim Originaliter totum novum Testamentum, exceptis Evangelijs S. Matthæi, & S. Marci, & Epistolâ S. Pauli ad Hebræos. ab ijs Apostolis vel Evangelistis, quorum titulus præfigitur, est græco idiomate conscriptum; cujus editionis, etsi aliquot in locis Hæreticorum corrupta sit, ea tamen est adhuc auctoritas, ut ejus usus multùm servire possit ad ambiguitates tollendas, & multorum locorum energiam meliùs assequendam, nimirum Latinæ linguæ inopia Græcæ fecunditatem præ se non potuit.

Secundò dein omnes libri Hebræico aut Syriacè conscripti, pariter in Græcum idioma translati à varijs scriptoribus, puta Aquila, Symmacho, Theodotione, Origene, S. Luciano, Hesychio & alijs, quos tamen omnes, uti ordine, ita & autoritate septuaginta Interpretes sua translatione antecesserunt, qui, teste Menochio c. 17. Bellarmino & alijs, à Prolemæo Philadelpho in Aegypto sunt evocati; cum enim hic Rex locupletissimam Bibliothecam instruxisset, & in hac etiam Judæorum